



2b. 15



12.

RECTOR
ACADEMIÆ
FRANCOFURTANÆ
DAVID ORIGA-
NUS MATHEMATUM

Professor P.

AD JUSTA FUNEBRIA

quæ
Excellentiss. & Consultiss. Vir
D N.

THOMAS WERLIENUS,

U. J. D. &c.

*Elegantulo, bonæq; indolis
ac spei puerulo*

JOANNI-GEORGIO
FILIO LO SUO PRIMOGENITO, UNICO,
desideratissimo

Ad d. XVII. Januarij


Honorifico ritu exsolvet

Omnes Jurisdictioni suæ sub-
jectos amanter invitat.

ANNO M. DC. XXII.

Typis

FRIDERICI HARTMANNI.





Uod Cornelia, Scipionis A-
fricani loror, Gracchorum
mater, à Diis immortalibus fi-
liis olim precat a suis dicitur: ut,
si vita ipsorum familiae orna-
mento, & emolumento reipub.
futura esset, annis sibi ad vivē-
dum constitutis demerent, & demtos liberis adderent:
sin verò dedecori & detrimento; ut prius illi vivendi
pauſam facerēt, quam ipsa fieret esca vermium: id pro-
cul dubio omnium parentum, quocunq; loco nati, dum-
tamen non hostiliter in suos aut reipub. animati sint,
aut verum $\pi\alpha\iota\delta\omicron\tau\omicron\upsilon\iota\alpha\varsigma$ seu procreationis liberorum
finem ignorent, commune debet esse votum. Quid enim
illis aut ad immortalitatem gloriae optabilius, aut ad
voluptatem animi jucundius accidere potest: quam se
liberos bene moratos, & generis aut acceptam à majos-
ribus dignitatem tuendi, aut novitatem factis egregijs
familiarum vetustati inserendi, atq; de reipub. præclarè
merendi cupidos post sese, velut alteros sese, suo loco res-
linquant: seq; ab illis in virtutibus & dignitatibus su-
perari videant? Paterna quippe pietas à filiis etiam in
honore vinci victoriam ducit: & tunc senex pater feli-
citatē apicem adtigisse videtur, cum eum, ut Claudiani
ut ar verbis, natus adæquat
jam meritis; & quod magis est optabile, vincit.
Contra

Cōtrā quò bonum est superstitēs habere liberos, si rem-
pub. cui non minus quam parentibus nascuntur, & vi-
tam ipsam, si res exigit, debent, oppugnatum eant aut
eversum? si partum à majoribus decus ac splendorem,
aut exstinguant, aut obscurent? si contra Ecclesiam,
quam matrem eos agnoscere oportet, dumne Deum no-
lint habere patrem, arma capiant? si parentes, quorum
eternare memoriā, perpetuare famam, amplificare
familiam, sublevare inopiam, sustentare senectam mu-
neris ipsorum est, contumeliosè tractent, aut durius &
inclementius habeant? si turpiter & flagitiosè viventi-
do suis probrum, aliis exitium, sibi interitum accersant?
Ea propter succensere Deo, aut fortunam iniquitatis
damnare, fativè inclementiam accusare parentes non
debent: si liberi, quos in lucem editos cum gaudio susce-
perūt, & tenerrimè amant, ob jam dictam, aliasq; caus-
sas, de quibus sacrorum voluminum tractatores copio-
sè dicūt, primo rapiantur a vo: etiam illi, in quibus plus
fiduciæ ac spei reposuerunt: & pro quorum salute atq;
incolumitate cœlos fatigarunt, atq; ut sibi superessent,
totos precati sunt dies. Enimverò per atatem illorum,
nondum exploratum habere possunt, honori sibi an pu-
dori, detrimento an emolumentō reipub. sint futuri: cum
non rarò eveniat: ut de quib. multa nobis promittimus,
& qui à puero spem nobis magnam summæ probitatis
adferunt, ij non multò post, etatis lubrico, multis ad de-
pravandum paratis, cursu mutato ab honestate trans-
fugiant:

fugiant: & ad castra planè aduersa deuolet. Exemplo
nobis sunt Tiberius & Cajus Gracchij ipsi, quos ma-
ter Cornelia quod peperisset, nunquam non felicem se
dicebat, & pro quibus id, quod initio diximus, votum
nuncuparat. Illorum namq; parentes quidem, tam diu
laudabuntur, dum memoria rerum Romanarum mane-
bit: at filij ipsi, quippe seditiosi & turbulenti, nec vivi
probatè à bonis sunt: & postquam alter in Capitolio ob
reipub. salutem à Scipione Nasicà oppressus; alter ad
voluntariam mortem compulsus erat, numerum obti-
nerunt iure casorum. Quin etiam illud adjungo: et-
iam si de retinendâ à liberis in virtute constantiâ & per-
seuerantiâ certò constaret: ut constare per rerum natu-
ram non potest: tamen ne tum quidem animo parentes
frangi, aut ejulatui & lamentis muliebribus sese deden-
refas esse, si liberi moriendo eos prævertant. Persua-
sum enim habent non ex profanis scitis, sed diuinis o-
raculis, eos non corpusculorum seu atomorum concursio-
ne aut disgregatione fortuitâ, non ceco casu aut volubi-
litate fortunæ, nõ fatali necessitate, non Erebo & Nocte
natarum Parcarum, filium vitæ hominibus abrumpen-
tium inexorabili crudelitate à complexu suo abstrahi:
sed accitu & vocatu Domini de seculo liberari. Sciunt eos
nõ amitti, sed præmitti: & recedentes præcedere, ut pro-
ficiscentes & navigantes solent. Norunt deniq; eos casi-
bus vitiisq; ereptos, & periculis omnib. exemptos in pos-
sionem mitti plenissima securitatis: de quâ nihil his

in terris sperandum. Requies n. in solo cœlo est: at hujus
mundi & voluptas nulla sincera, & gloria omnis fluxa,
& felicitas præceps ac lubrica. Risus, ut sapientissimus
Regum Salomon scripsit, dolore miscetur: & extrema
gaudij luctus occupat. Gloria carnalis, si Vati, quam
debemus, fidem arbitramur, fœni floribus nō absimilis:
quia, dum nitet, cadit: & dum apud se extollitur, repen-
tino intercepta sine terminatur: nō secus atq; aurarum
flatu in altum stipula rapitur; sed casu concito ad ima
revocatur. Omnium verò istorum, quos incedere
altos videmus, bractea felicitas est: imò non durat,
nec ad ultima exit, nisi lenta felicitas: & nulli fortuna
minus benè, quàm bonæ creditur. Sylla fortuna usq; adeò
favet, ut felix usurparetur; & jactaret Sophocleū illud:

Εγὼ δ' ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμω:
sed, ut, Solinus ait, dictus potius est, quam fuit felix: &
tandem Puteolis morbo pediculari periit. Quis verò
credidisset, jacentem supra crepidinē Marium, aut fuis-
se Consulem, aut futurum? Usq; adeò nullus in his terris
homo, quamvis diutissimè vita protollat, sperare potest
securitatē sine timore, letitiam sine mœrore, gloriā sine
obtrectatione, felicitatē sine tribulatione, sapientiā sine
errore, sanitatem sine languore: quæ electos manent in
cœlesti Hierosolymā: ad quam tanquam ad beatū portū
è vitæ hujus fluctibus non aliter adspirant, atq; ij qui
à littore in altū provec̄ti sunt, oculis votoq; terram re-
quirunt. Non ignota hæc, quæ diximus, Cl. & Excel-
lentiss.

lentis. sunt Viro, Dn. THOMÆ VVERLIENO, ami-
co nostro honorando: eidemq; non parva dant solatia
domestico in luctu, in quem divinâ dispositione vel ordi-
nante vel permittente jam incidit. Nam quem IV. Non.
Decembr. Anno Salutis M. DC. XX. ex uxore suâ, MAR-
GARETHA KINASTIA, Dn. GEORGII KINASTI, Viri
ampliss., Senatoris Reipub. Oppidanæ primarij Filiâ, Dn.
Doct̃oris BALDASSARIS CAMINÆI, Viri à studiis scri-
ptisq; etiam inclyti, Collegæ quondam nostri honorandi
relictâ viduâ, susceperat filiolum JANULUM-GEORGI-
UM: & nominis ac fortunarum suarum heredem jam scri-
pserat: eum die ab hinc VII, qui erat mensis hujus XII, ino-
tra IX. & X. a. m. post exhaustos aliquot dierum, ex ven-
triculi debilitate, & obstructionû, omnia medica auxilia
respuentium, copiâ dolores perpeffu difficiles à latere suo
abripi, & q. partem à pectore suo abscindi vidit. Unde et si
non potest, quia homo est, & quam acres paternitatis sti-
muli sint, experitur, non capere dolorem: Et tantum quidē,
quantum ex primogeniti & unigeniti occasu capi solere di-
vino numine adflati Vates prodiderunt: quia tamen idem
non mollicellam fœminam sed constantem virum; nō gen-
tilem & barbarum, aut à doctrina vel ratione incultum,
sed fidelem & placidum, eruditæq; gentis hominem se esse
meminit: omni animi impetu in id incumbit, ut ipse casum
hunc regat, nō ab illo regatur: nec vulneri intabescat, aut
dolori hereat & incubet. Imitatur nimirum Quirinum
Sophistam: quem cum amici de morte filij consolarentur,

&

Et animo magno fortiq; esse juberent, Ecquando, inquit il-
le, potius apparebo vir quam nunc? Imitatur Palestine
regem Davidem: qui filiolum moriturum flebat, mortuum
non dolebat: Et cum Seneca novum hunc annum, non a-
rumnarum, uti sperabat, finem, sed novi luctus materiam
importantem, faustum Et felicem sibi reddit bonis cogita-
tionibus, Et animi magnitudine: nec indignatur cum Ati-
talo, quod se fortuna in castris suis potius, quam in deliciis
habeat. Quam in re Et pie facit Et prudenter: propeq; est, ut
eminentius censeatur, quod probant eum adversa con-
stantem, quam si celarent secunda felicem. Et si autem a-
quus illius animus luctus hujus levamentum, Et arumna
condimentum est optimum: agite tamen Cives academiae
literatissimi, juvenes florentissimi, ad exsequias, quas
denato filiolo, hodierno die, post horam XII. parat, coho-
nestandas frequentes procedite: vosq; vicem ejus dolere,
Et casu hoc ejus consauciari palam ostendite: ut ita robur
ab affectu vestro obsequioso sumat: Et hoc ipso magis eriga-
tur, quod dolere vos videt. Habet n. ille in adfectu cons-
ensus, & alienae aegritudinis societas ad augendum a-
nimum, & minuendum luctum nescio quid latentis
egyptiacae: Et, ut Gregorius Theologus loquitur, ma-
gnum est misero solatium miseratio, quae
ex animo proficiscitur. B. V.

C. N.

Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021



5b-700

Von 7

MC







B.I.G.

Farbkarte #13



12.

DIRECTOR
 ACADEMIAE
 ALTAE SAEPTUAGINTAE
 ANNO 1712
 ORIGA-
 THEMATUM
 Professor P.
 A FUNEBRIA
 quae
 & Consultiss. Vir
 D. N.
 VERLIENUS,
 D. &c.
 bonaeque indolis
 puerulo
 GEORGIO
 MOGENITO, UNICO,
 gratissimo
 XI. Januarij
 ritu exsolvet
 ictioni suae sub-
 nter invitat.
 DC. XXII.
 Typis
 HARTMANNI.